

V C
1276




29



~~1572~~ f. XV. 3.

Q. N. XV, 3





O
E
S
L
C
b



Q. N. 15, 3

I, 187

Q. D. O. M. B. P.

HISTORIAM
ECCARDI II.
MARCHIONIS MISNIAE

ET IN EA

TRANSLATIONEM
SEDIS EPISCOPALIS
CIZA-NUMBVRGVM

PUBLICO EXAMINI SISTUNT

PRÆSES

CASPAR SAGITTARIUS D.

Histor. Prof. P.

ET

RESPONDENS

PHILIPPUS BERNHARDUS Ed

RODA-THURINGUS.

JENÆ.

Typis NISIANIS, Anno MDCC LXXX



V I R O
ILLVSTRI GENEROSO & PRÆSTRENVO
DOMINO
JOHANNI DITERICO
A SCHONBERG
Hæreditario Domino in Goldscha & Wol-
chendorf, Confiliario intimo & Cancellario Sa-
xo-Altenburgico, &c.

Vt &
V I R O
MAGNIFICO, EXCELLENTISS. & CONSVLTISS.
DOMINO
JOHANNI CASPARI
HENDRICH
Hæreditario Domino in Benndorff & Ni-
der-Wellnborn, Jcto consummato, Confiliario
Saxonico & Proto-Synedrii Saxo-Altenburgici
Præsidi.

*Mæcenatibus & Patronis suis sum-
ma observantiæ obsequiique cultu
etatem devenerandis.*



SECTIO I.



ECCARDVS II. Marchio Misniæ
 Patrem habuit Eccardum I. Mar-
 chionem Misniæ & Thuringiæ Du-
 cem: matrem, Syonchildam, Her-
 manni Billingi, Saxoniae Ducis fi-
 liam: fratres, Hermannum & Guntherum: So-
 rores, Luidgerdam, Mathildam & Odam: pa-
 truos, Guncelinum & Brunonem.

Et Pater ECCARDI II. & mater, nec minus fratres &
 sorores, itemque patruum ex Historia ECCARDI I. a Cl. Dn.
 Præsidi anno MDCLXXV. in hac Salana publice proposita
 jam innotuerunt. Matris, fratrum sororumque notitiam
 pandit Sectio XVIII. Patruorum, Sectio III. Hermannus au-
 tem frater, & patruus Guncelinus denuo in hac ipsa disser-
 tatione non semel in conspectum venient.

SECTIO II.

Postquam Eccardus Pater ab Ottonis III. 1002.
 Germaniæ Regis & Romani Imp. excessu re-
 gnum affectans Poledæ erat occisus, & Jenæ se-
 pultus, Eccardus II. una cum matre ac fratribus
 Misnam concessit.

A

De

De cæde & sepultura Eccardi I. a Dn. Præsidente actum laudatæ dissertationis Sect. XVI. & sequenti. Ditmari Episcopi Mersburgensis verba huc facientia, ut & profectio- nem Misnensem significantia ex lib. V. Histor. repeto : *Hermannus accepta nece parentis improvisa, cum matre celeriter occurrit, patrisque corpus ingenti luctu suscipiens, in urbe, quæ JENA dicitur, sepeliri fecit. Peracto autem tricesimo die, Domina Schvonebilda ad Misni proficiscitur cum filiis. Tricesimus ille dies (quod in transcurso moneo) subindicare videtur, mensuram illam ab obitu nostratium quietem jam tum illo ævo receptam fuisse.*

SECTIO III.

1003. Misnam tum ex paterna hæreditate acce-
pisse videtur Hermannus, Eccardi II. frater: sed
brevi post occupat Guncelinus patruus, ac Bo-
leslao Polono deditam custodiendam accipit.
1004. Quam cum ille postea restitui sibi postularet,
Guncelinus formidine novi ab Henrico II. Rege
periculi, cujus interea militem præsidarium rece-
perat, id detrectat.

§. I. Prolixe rem omnem exponit Ditmarus lib. V. pag. 108. 109. 115. editionis Maderianæ. Nonnulla huc spectantia afferam: *Interim Bolizlaus, Misenonis filius, patre longe inferior, de morte latatur Comitis Ekkehardi, moxque electo exercitu omnem Geronis Comitis Marcham, citra Albim jacentem, deindeque præmissis obsidibus Budissinam civitatem cum omnibus adpertinentiis, comprehendens, statim Strelam urbem invasit, Misnenses pecunia corrumpere clam tentans.*

Lvi.

Qui novis semper gaudentes, in una dierum, cum presidii maximam multitudinem, ob acquirendam eorum annonam, exisse comperirent, portam quæ Orientem respicit, in ea parte, quæ satellites habitant, dicti Slavonice Vethenici Cukesburgiens, Guncelino ad hoc Duce irruunt, Breccionemque, Hermannii Comitis satellitem, primo occidentes, ad caminatam, ejusdem omnes armati conveniunt, fenestram lapidibus impugnant gradibus, dominum urbis, Ocerum nomine, sibi ad occidendum reddi vociferantes. Sed Ditmarus miles, ex cubiculi sola munitione, quare sic, inquit, agitis? quis furor vos ita seduxit? ut obliti beneficiorum Comitis Ekkihardi, spontaneæque invitationis, sic assurgitis in perniciem filii? Si causam tanti facinoris seu publice seu clam cuiquam nostrum vultis aperire, commissi emendationem vobis complacitam, futurique timoris vestrimet securitatem ex meci Senioris, nostrorumque omnium parte, firmiter, qualitercunque vultis, promitto. Hunc quem in mortem vobis dari inclementer exposcitis, nobis viventibus non accipitis. Paucus sumus, aut communiter mori, aut incolumnes urbe hac nos exire pro certo sciatis. Tunc illi auditis sermonibus bis, colloquuntur, ab eundemque licentiam hic præstantes, Ducem Bolizlavum per internuncios invitant, portisque eundem suscipiunt apertis. — Interim dum Rex Henrici Comitis urbem, Crusin vocatam, possedit, Bolizlavus eum in aliquo ledere summo-pere nisus, clam exercitum colligit, & per nuncios suimet Guncelinum fratrem hortatur, ut memor firmæ promissionis, urbem Misnensem suæ redderet ditioni, amicitiamque renovaret pristinam. Ille autem sciens, istius ingressu a gratia Regis, & a domino tali se penitus exclusum iri, mandatis talibus respondit: Omnia quæ præter hæc a me expetis, frater, libenter

impendo, & si unquam hæc faciendi opportunitas accidit, non recuso. Sunt mecum senioris mei satellites, qui talia non patiuntur, & si hoc publicatur, vita mea cum omnibus quæ possideo, periclitatur. *Hac legatione accepta Bolizlavus, internuntios custodiri, & legionem ad Albim properare jussit.*

§. II. Non adeo diu post excessum Eccardi I. hæc gesta esse autumo: certe Fabricium *Annal. Urbis Misnæ lib. I.* ad annum CIOX. illa referentem non puto audiendum. Sed & idem tum in his Annalibus, tum *Originum Saxonicar. lib. III.* in ipsa historia serie cespitat aliquoties: quæ tamen hic examinare nostri non est propositi.

SECTIO IV.

Ob hoc Guncelinum Marchionis Misnensis munere elogioque, quæ alioquin Eccardi I. filiis, certe Hermanno majori fratrum deberi videbantur, ab Henrico II. Cæsare ornatum reor.

Eccardo I. Marchiam Misnensem, quæ olim ex arbitrio Regum Germaniæ pendeat, in hæreditatem cessisse, magnorum virorum est opinio, eo que ipse Cl. Dn. Præses inclinat in Historia Eccardi I. Sect. VIII. §. IV. Et vero nisi Eccardi Patris obstitisset arrogantia, novarumque rerum studium, nec Guncelini patruis accessisset perfidia, dubium non est, quin hæc Hermanno obtigisset. At prævaluisse videtur Guncelinus, fratris filiis nimium infensus: quem ex eo aliquoties *Marchionis* titulo maectat Ditmarus.

SECTIO V.

Post aliquot annorum decursum cum simul-

1008.

multas Guncelinum inter & Hermannum in sæ-
vum erumperet bellum, ECCARDVS II. Her-
mannum fratrem, præsertim in occupando no-
bili ad Salam castello strenue adjuvit.

§. I. Ditmarus lib. VI. pag. 153. Hermannus Comes &
Guncelinus Marchio invicem certantes inusitato in his regioni-
bus more conflixere. Namque Guncelinus Strelam civitatem
a militibus Hermanni custoditam expugnare tentans, & nil
proficiens, Rochlitz urbem juxta Mildam flumen positam, &
non bene provisam, incendio consumere præcepit. Insuper quic-
quid incommoditatis prædicto Comiti, quia semper patri in
fratribus filios severi, facere potuit, id nullatenus distulit.
Hermannus & Ekkihardus confratres castellum quoddam,
juxta Salam situm, quod Guncelinus unice sibi dilectum muris
& presidio firmavit, bonisque innumerabilibus implevit, ex
improviso manu valida circumdantes expugnant, & divisa
omni congerie, radicitus illud dejiciunt, ac incendio consumunt.

§. II. Quodnam fuerit ad Salam castellum, a nobili
fratrum biga expugnatum nondum memini me legere: &
quia Dn. Præses jam tum de Eccardo I. commentans de eo
viros in his studiis bene versatos per literas consuluit, nec
certa habuit comperire, videndum an posterior ætas tam
hæc, quam alia multa apud Ditmarum abstrusa aperuerit.

SECTIO VI.

Ne belli hujus intestini flamma serperet lati-
us, Henricus II. Cæsar eam restincturus Guncelino
æque ac Hermanno & ECCARDO fratri-
bus

bus diem dicit Mersburgi. In illa disceptatione cum causam obtinuissent fratres, Guncelino Marchioni surrogatus Hermannus per legatum Cæsaris introductus est.

§. I. Ditmarus lib. VI. p. 153. *Peruenit hoc ad aures Regis, & confestim idem ad Merseburg, hęc ad discutienda properavit. Sed cum ibidem predictorum sententias Comitum animadvertisset, culpam omnem Guncelino imputat, quia se in multis prius sperneret, & in illato sibi dedecore ultorem non exspectaret. Adjecit autem, quod familias multorum, sepe id sibi quærentium, Judæis vendidit, & nec jussu suo has reddere, nec latrocinia, multis a sua potestate nocentia, unquam curavit compescere. Insuper quæstus est, quod majorem apud Bolizlavum fratrem gratiam hactenus habuisset, quam ei deceret, aut sibi placere deberet. Hic etiam præsentibus erant, qui cum semetipsis reum esse majestatis, accusare voluerunt. Inter tot lamentationes & ejusdem suorumque excusationes, Principum communiter consilium a Rege quæritur, & ab his diu hoc secrete volventibus, taliter respondetur: Scimus hunc erga vos inexcusabilem non esse, & ut vestræ pietati se, omni reluctatione remota, tradat, nobis bonum videtur. Admoneat vos misericors Dominus, ut non qualitate sui meriti, sed pro quantitate ineffabilis clementiæ vestrimet, ad exemplum omnibus ad vos conversis in eo faciatis. Horum consilio Rex adspirans, suscepit eundem, & Arnulpho Antistiti firmiter custodiendum tradidit, præsidii continuatione ab hostibus Misni muniens, eamque ad tempus providendum Friderico committens.*

§. II. Sic igitur non tam Misniæ Marchio factus Frideri-

dericus, Ilburgi Comes, quam provincia Marchiæ Misnensis ad tempus eidem commissa fuit. Hunc Fridericum esse reor, quem primum Misnæ Burggravium facit Fabricius: incertum, quo auctore.

§. III. Quid porro actum de Guncelino, non liquet. Fabricius quidem *Origin. Saxon. lib. III.* (p. 395.) scribit, in urbe Libussa, quam Rex (Henricus) instauraverat vitam degere jussum: porro capta a Boemo Libussa & cremata, Guncelinum cum reliquis abductum, sed mox in vinculis detentum Papebergæ, ac septimo demum anno liberatum mense Decembri nati Christi supra millesimum octavo decimo. Sed nihil horum legas apud Ditmarum: ad quem provocat tamen Fabricius. *Guncelinum quidem de Wisso, & ejusdem infelicem custodem Schich vulneratum* tradit Ditmarus lib. VI. pag. 169. longe hunc tamen alium puto a Guncelino Marchione, Eccardi nostri patruo.

§. IV. Damnato autem captoque Guncelino successor datus est Eccardi frater HERMANNVS. Sic enim laudato loco pergit Ditmarus pag. 154. *Proxima vero messe interventu Regina & instinctu cari Tagmonis, Hermanno Comiti Marchiam dedit, & consilio & laude Principum eorundem.* — *Post hæc Hermannus Comes per Regalem nuncium introducit, ac debitoribus suis, quicquid in eum deliquerant, dextra hoc affirmante, ab eo remittitur.*

SECTIO VII.

ECCARDVS postea clandestinam cum Boleslao Polono amicitiam colit: fovet ejus speculatores, & demum absque Henrici II. Cæsaris venia

vehia ad illum proficiscitur, & de Cæsare multa loquitur odiosius. Ideo ad causam dicendam evocatus, cum iudicium damnationis metu detrectaret, bonis exiit.

Ditmarus lib. VI. pag. 175. Insuper regias pervenit ad aures, quod nepos meus Wirinharius cum EKKIHARDO, Hermannii Marchionis fratre ad Bolizlavum sine licentia pergerent, ibidemque multa gratia suimet contraria loquerentur, e jusque nuncios hic saepe in secreto haberent. Hoc omne Rex suscipiens, utrosque in suam venire presentiam iussit. Id cum facere non auderent, comprehensis omnibus suimet bonis, ut regie potestate resisterent, diffamantur. Fabricius origines hujus historiae altius repetit, nempe a litibus inter Episcopum Mersburgensem & Eccardum, quibus causam dederit Heico quidam Ameslebius. Sed multa in narratione Fabriciana Cl. Dn. Præsidi sunt suspecta.

SECTIO VIII.

Tandem tamen ECCARDVS Cæsari ex quorundam intercessione reconciliatur suaque recuperat.

Ditmarus d. l. Tandem nepos meus (Wirinharius) gratiam & incolumitatem cum prædio suimet & auro comparavit. Alter vero (ECCARDVS II.) longe post cum fideli interventu restituitur.

SECTIO IX.

1015. Cum denuo ad bellum inter Henricum Cæsarem & Boleslaum deventum, ac cæsus in eo esset

set Gero Orientalis Marchio, ECCARDVS cum Hermanno & Gunthero fratre ejus sepulturæ in monasterio Neuburgensi ad confluentes Bodam & Salam interfuit.

Ditmarus lib. VII. pag. 195. *Imperator Geroni Archiepiscopo, & Geroni inclyto Marchioni, ac Burckhardo Comiti Palatino residuos committens, progreditur. — Luidolfus autem juvenis cum paucis capitur, & Gero ac Volcmarus Comites cum CC. militibus optimis occisi, spoliati sunt. — Imperator ut hoc triste nuncium audivit, ad tollenda interfectorum corpora redire voluit: sed multorum tardatus consilio, id quasi invitatus omisit, & Eidum antistitem, qui eis licentia infasti Ducis sepulturam impenderet, & Geronis corpus Marchionis imploraret, remisit. — Funus autem prædicti Marchionis & socii ejus Widredi usque ad Misni fecit reduci. Hæc ibidem Hermannus Comes flebiliter suscipiens, & usque ad novam urbem (ubi Gero Coloniensis Archiepiscopus & Thiedmarus Marchio frater ejus, vitricus istius, pater autem interempti Comitis in honore Dei genetricis & sancti martyris ejus Cypriani regnante secundo Ottone, Abbatiam construxerunt) cum fratribus suis Gunthero ac EKKIHARDO comitatur, quæ Gero Archiepiscopus tunc terræ commendans, Dominam Adelheidam ejusque filium Thiedmarum ac mærentes amicos ac milites solatur.*

SECTIO X.

ECCARDVS II. Ditmaro Episcopo Mersburgensi infestus sylvam quandam ejus venationibus occupat, & suos ac fratris satellites in de-

B

tri-

trimentum Ecclesiae Mersburgensis grassari licentius permittit.

Longa est de hac contentione narratio apud ipsum Ditmarum lib. VIII. p. 245. seq. ex quo summam nostris verbis repetemus. Otto II. Imp. temporibus Gisleri Magdeburgensis Archiepiscopi & Misnensis Marchionis Guntheri Ecclesiae Mersburgensi donaverat sylvam inter Salam & Mildam fluvios, ac pagos Plisnensem & Seuselitzensem sitam. Regnante autem Ottone III. cum Mersburgensis Episcopatus facies admodum esset miserabilis, Eccardus I. Marchio dictam accipiens sylvam, pro eadem aliam ad Sumeringam Mersburgensibus attribuit. In eo quod detrimentum cepissent non vulgare, suaque postliminio repeterent, Henricus II. ex Principum decreto sylvam Eccardi I. filiis Hermannus & Eccardo II. ademptam judiciaria lege Episcopatus Mersburgensi restituit. Fuerat jam illa in potestate Mersburgensium per annos XII. cumque Hermannus LX. manserit eam a Praesule Ditmaro frustra tentasset redimere, is alia rem aggressus via, pro duobus in Rochlicensi Comitatu praediis (sic capio verba Ditmari: *super duorum proprietatem Burgwardorum Rochlitz:*) accedente Henrici Regis mandato, sylvam recuperare laborabat, antiquiorem scilicet Mersburgensis Ecclesiae confirmationem diu abolitam esse sperans. Sed repugnante Ditmaro, nec in eo profecit Hermannus. Cum enim praesente Henrico Imp. Magdeburgi hac de causa ageretur, Mersburgensia privilegia, utpote antiquiora pervicerunt. Sic igitur visus est Hermannus deserere litem, & praesente Eccardo fratre Ditmarum conceptis his verbis allocutus est: *Quicquid haecenus in his fecimus, non obtemeritatem aliquam, sed quam habuisse speravimus, justitiam*
feci-

fecimus : nunc autem id omittamus. Non longe post Eccardus II. instinctu cujusdam militis Boleslai in Comitatu (*Burgwardo*) suo Rochlicensi ad capiendas feras munimenta quædam excitat. Quod cum deferretur ad Ditmarum, ut a coeptis desisteret, Eccardum per internuncium monens, ac Hermanno quoque de injuria Ecclesiæ illata questus, in casum laboravit. A festo autem Paschatos, cum serena esset aeris tempestas ac itineri commoda, & nondum hætenus in illas Episcopatus partes venisset Ditmarus, VI. Non. Maji ad inspicienda Eccardi molimina profectus, quando ejus opus laqueis & retibus firmatum deprehenderet, partem protinus jussit incidi, rectoque itinere Rochliciam tendens, turbatas res in ordinem redigendo, ut decimæ injuste hætenus inhibitaæ stato tempore solverentur, a sylva vero violentas abstinerent manus sub interminatione anathematis edixit. Exin ad prædium Chorin (Ditmarus habet *Thorun*) reversus, cum per septiduum ibidem sustitisset, quod Eccardi ministri comitibus ipsius minarentur, audivit. Forte tunc Cancellarius (nescio an Eccardi, an alius Principis) apud Ditmarum pernoctans, quæ hac in re gererentur, ex ipso Ditmaro intelligens placide respondit. Interim frequenter coierunt milites Eccardi, ac forte infortunium creassent Ditmaro, nisi ministrorum obstitisset vigilantia. At Ditmarus rem defert ad Imperatorem Moguntiam, ejusque præsidium implorat. Eccardus igitur Imp. iram veritus, ad pacem inclinatur, quam Hermannus item commodum ex Polonia adventans porrecta dextra spondet. Neque tamen steterunt promissis, sed sex viri Mersburgensi Ecclesiæ addicti flagellati, & fortunis ac ædificiis fuerunt exuti: imo in ipsum Ditmarum exarsere gravius, & nunc ipsum nunc alios amico-

rum ejus duriter tractaverunt. Quis tandem hujus contentionis fuerit exitus, me latet: nec ex Ditmaro plura habeo exsculpere, qui hic fere suam finit historiam. In vita quoque Ditmari ex MS. quodam Chronico Antistitum Mersburgensium desumpta, cujus copiam Reinero Reineccio fecit Christianus Distelmeierus, quamque ex Reinecciana in suam transtulit editionem Cl. Joachimus Johannes Maderus, nonnulla eo spectantia habentur, quæ huc transcribere nihil attinet. Fabricius hanc historiam miris confundit modis. Nam primo pro Ditmaro Brunonem Præfulem substituit: violentas deinde inter Episcopum & Eccardum actiones Magdeburgi per Imperatorium edictum compositas tradit. Quæ porro habet de Eccardo adire Imperatorem recusante, sed per fratrem Hermannum ad id compulsio, vel ingenio Fabricii, vel auctore non satis nituntur idoneo.

SECTIO XI.

1029.

ECCARDVS II. una cum fratre suo Hermannno promovit translationem Episcopalis sedis Ciza Numburgum anno cIo XXIX.

§. I. Cognitione utique accuratiori dignissima est de translatione Episcopatus Cizensis historia, quæ hæctenus tamen adeo latuit in obscuro, ut nec diligentissimo scriptori Paulo Langio, ut ut Cizo-Numburgensem historiam dedita tractanti opera, de eo certi quicquam constiterit. Arguunt hoc sequentia ejus in *Chronico Cizensi* verba: *Hilliwardus Episcopus ordinavit & consecravit Ecclesie Magdeburgensi Hunifridum Archiepiscopum. Quo etiam tempore sedes Ecclesie Cizensis cum titulo translata in Numburg: cujus causam ignorans admiror. Cum enim a digniore consuevit fieri denominatio,*

natio, antiquitas autem dignior sit quam novitas, juxta illud juridicum, Qui prior est tempore, potior est jure; Ecclesia autem Citzensis multo prior cum sit foundationis tempore; merito prioritate & sua antiquitate tituli dignitati perpetim venerari debuisset. Miror ergo, cur ei hæc dignitas per tituli sit ablata translationem, & Nuenburgensi attributus, ut nunc passim communiterque Nuenburgensis, raro vero, aut nunquam Citzensis appelletur Episcopus: licet ipsa curia episcopalis hætenus apud matrem Citzensem duravit etiam cum residentia, & quorum ipsa viventium fruitur cobabitatione, illa mortuorum sepultura gaudet. Quæmadmodum enim titulus, ita & sepultura illuc est translata: tametsi non adeo usque. Quia cum sit libera, plerique maluerunt presulum in matrica Citzensi, quam filiali Nuenburgensi quiescere Ecclesia. Hujus itaque mutationis causam eatenus aliam invenire haud potui, quam (ut reor esse factum) quod Ecclesia Nuenburgensis situ amœnior, divitiis crassior, cantu clamosior, potu delicatior, & emporio sive annuis famigeratior celebriorque sit nundinis; & eas ob res matri filia, junior seniori prælata, illa dignitate adornata fuerit.

§. II. Ceterum bene est, quod adhuc in tabulariis Episcopatus Numburgensis supersint vetusta bonæ notæ diplomata, ex quibus certa habeamus exsculpere. Et primo quidem si non unica, præcipua tamen hujus translationis fuit causa, quod Numburgum locus esset pro genio seculi sic munitus satis, adeoque insultibus hostium non æque ac Ciza obnoxius. Quandoquidem enim Citzensis Episcopatus a prima statim fundatione Bojemorum & Wendorum populationibus esset obnoxius, ac imprimis Ciza metropolis anno 1000. diriperetur, de loco tutiori dispexerunt, quorum exigebat officium Ecclesiæ non minus quam Reip. salutem prospicere.

B 3

§. III.

§. III. Primaria autem in promovenda translatione fuit opera CONRADI II. Imp. siquidem id *ferventi desiderio per literas ac nuncios* apud Johannem XX. Pontificem Romanum egisse dicitur. Qua de re aliquid inaudivisse videtur Langius: qui in laud. Chronico sic scribit: *Inter alia opera pietatis Ecclesiam Nuenburgensem a quibusdam traditur fundasse insignem & opimatissimam.* Deinde cum Numburgum in ditione esset hæredum Eccardi I. iidem auctoritate Imperatoris moti hunc in finem Ecclesie Citizenfi Numburgense oppidum dedicarunt. Quamvis enim unicum tantum WICHARDI Ducis (is procul dubio ipse est ECCARDVS I.) hæredem nominet Johannes Papa, ex alio tamen Cadaloi Numburgensis Episcopi privilegio discimus, utrumque fratrum Hermannum & Eccardum *eundem locum hereditate paterna acceptum Episcopali dignitate sublimasse.* Neque multum refragabor tamen, si quis soli Hermannum tum Numburgum fuisse adscriptum dixerit: quandoquidem Eccardus in divisione hereditatis paternæ terras ad orientem vergentes, in quibus & Rochlicio proxima sectione memorato locus, Hermannus ad occasum spectantes, & in his Numburgum accipere, rem tantam tamen communi consensu & suffragio potuerint tractare.

§. IV. De anno translationis si quæras, licet in diplomate Pontificio diserte non exprimatur, ex indictione tamen XII. quam subscriptio Pontificia affert, haut difficulter est colligere, fuisse annum seculi undecimi nonum & vigesimum: nec mihi fit verisimile rem tantis expetitam desideriis longiori mora esse extractam. Enimvero quamvis non negaverim, quod Dresserus *de Urbibus* affirmat, mature de translatione susceptam esse deliberationem; eandem ta-

men

men jam tum regnante Henrico II. anno c10 civ. perfectam
quæ itidem Dresseri est opinio, longius abludit a vero.

§. V. Quo ipso simul concedit eorum sententia, qui
Eccardum I. Misniæ Marchionem Thuringorumque Du-
cem Episcopatum Numburgensem condidisse affirmant:
quo in recentioribus præluxisse videtur Auctor Chronici
Montis -- Sereni ad annum c10CLXXI. scribens: *Mortuo Dith-*
maro, Svanebildis ejus relicta nupsit Ekkebardo Marchioni,
filio Guntbarii Marchionis de Thuringia, qui Nuenburgensem
fundavit Episcopatum. Certe eum secutus est Petrus Albi-
nus in *Historia Misnica Tit. X.* (p. 115. 116.) qui idem repetit in
calce libri. (p. 438.) ut taceam Eliam Reufnerum in *Stem-*
mate Witichindeo, pro Eccardo I. quamvis Ecbertum I. (qui
fere communis juniorum error est,) laudante.

§. VI. Ut omnia pateant clarius, ipsam bullam Pa-
palem afferemus.

IOHANNES Episcopus Servus servorum Dei
Ildevvardo Episcopo Ziticens. Ecclesiæ perpetuam in Do-
mino salutem. Si extraneis privatisque personis Apo-
stolica suffragia quanto elegantius agitur, si
sanctæ Ecclesiæ eis egenti impertiri prompto animo studea-
mus, lucri potissimum præmium apud conditorem omnium
Deum in æthereis arcibus promereri credimus, quando lo-
ca ad meliorem procul dubio per nos fuerint statum produ-
cta. Igitur quia filius noster Christianissimus Impera-
tor CVNRADVS fervens hoc desiderio petiit suis litte-
ris ac nuntiis rogans licentia, quæ inconsulta
aggredi tantum opus nolebat, liceret vobis & sibi, cujus

in-

intuitu, providentia ac moderatione erat inventum, Episcopatum Siticensem ad honorem Sanctorum Apostolorum Petri & Pauli consecratum in Nuenburgum, locum munitum & ab hoste solito depraedari eum, remotum, transmutare, quem locum haeres cujusdam VVichardi Ducis, cotidianam desolationem illius & deprecationem dicti Imperatoris non ferens, sanctae Ecclesiae Siticensi perpetuo jure contulit, inclinatis precibus confratris nostri H. Magdeburgensis Archiepiscopi & haeredum dicti VVichardi, videlicet Hermanni Marchionis & germani sui ECCARDI consilio omnium Episcoporum & Clericorum nostrorum licentiam damus, ac inde transmutari, & in Numburgo extrui & in perpetuo manere Apostolica auctoritate vindicamus, & eundem locum cum omnibus pertinentiis sanctae Siticensis Ecclesiae ad honorem Sanctorum Apostolorum Petri & Pauli consecratum omnibus rebus & possessionibus, quas modo habere videtur, & quae in antea acquisierit, vobis vestrisque successoribus in perpetuum confirmamus. Quod enim sancti canones cogente necessitate non contradicunt, & quod saepe factum fuisse legimus, nostris temporibus fieri non prohibemus. Si quis autem, quod non credimus, temerario ausu contra hoc nostrum Apostolicum privilegium venire, aut in quoquam infringere praesumpserit, seu violator exstiterit, sciat, se auctoritate Dei omnipotent-

tentis & beati Petri Apostolorum principis, ac nostra,
 anathematis vinculo esse innodatum, & a regno Dei a-
 lienatum, atque cum Juda traditore Domini nostri Jesu
 Christi socius sit in inferno excommunicationique subja-
 ceat, donec respiciens ad satisfactionem & congruam e-
 mendationem redeat: qui vero pio intuitu curator & ob-
 servator hujus nostri Apostolici privilegii extiterit, bene-
 dictionis gratiam vitamque eternam & ætherei regni
 gaudia a Domino percipere mereatur in secula seculorum,
 Amen.

Scriptum per manus Georgii Notarii regio-
 narii atque scriniarii Sanctæ Apostolicæ
 sedis in mense Dec. 10. Indictione XII.

Valete in Christo.

§. VII. Hæc ipsa Johannis XX. bulla quod in papyro
 scripta per temporum injuriam aliquid contraxisset vitii,
 per Gregorium IX. Papam eandem renovari curarunt En-
 gelhardus Episcopus & Capitulum Numburgense anno
 CIOCCXXVIII. Hæc nova bulla sequentibus verbis concepta
 est.

GREGORIUS Episcopus, servus servorum Dei ve-
 nerabili fratri Episcopo & dilectis filiis Capitulo de
 Nuemburch, salutem & Apostolicam benedictionem.
 Destinati ad nos ex parte vestra dilecti filii L. Præposi-
 tus & A. Canonicus Ecclesiæ vestræ exhibitum nobis bo-
 næ memoriæ Johannis P. P. Prædecessoris nostri privile-
 gium

gium in papyro conscriptum cum ex quadam parte foret
 præ nimia vetustate consumtum, & alterius formæ ipsius
 littera, quam moderna, petierunt suppliciter innovari.
 Nos autem eodem privilegio diligenter inspecto, ne jus Ec-
 clesiæ vestræ deperire valeret, illud de verbo ad verbum,
 quatenus colligi potuit, duximus præsentibus adnotan-
 dum, tribuendo ei auctoritatem, quam Originale noscitur
 habuisse, ac supplendo in dictionibus quibusdam syllabas
 quasdam & litteras, quæ conveniebant eisdem & fuisse
 præsumebantur in illis, maxime cum bonæ memoriæ In-
 nocentii PP. secundi, prædecessoris nostri privilegium no-
 bis ostensum fidem fecerit ad supplementum hujusmodi
 in quibusdam dictionibus faciendum, propter quod causa
 discretionis syllabas ipsas & litteras mandavimus in hac
 pagina tonsis litteris exarari.

Sequitur bulla Johannis Papæ, cui subjici-
 untur sequentia.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam
 nostræ annotationis & concessionis infringere, vel ei au-
 su temerario contravenire: Si quis autem hoc attentare
 præsumserit, indignationem omnipotentis Dei & beato-
 rum Petri & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursum.

Datum Perusii VI. Id. Novembr. Ponti-
 ficat. nostri anno secundo.

§. VIII. Facta igitur sedis translatione Johannes XX.
 Pon-

Pontifex eandem confirmavit Indictione XV. quæ incidit in annum clo XXXII. Quia bulla confirmationis denuo mentionem facit Eccardi nostri, ac alia porro habet scitu non indigna, integram affere non pigrabimur.

✠. JOHANNES Episcopus, Servus servorum Dei.
 Dilecto in Christo filio Hildivardo sanctæ Nuenburgensis Ecclesiæ Episcopo, & omnibus successoribus tuis perpetuam in Domino salutem. Convenit Apostolico moderamini pia religione pollentibus benevola comparatione succurrere, ac poscentium animis alacri devotione imperitare assensum. Ex hoc enim lucri potissimum præmium a conditore omnium Deo procul dubio promeremur, si venerabilia loca oportune ordinata, ad meliorem per vos fuerint statum perducta. Sicut ergo karissime fili tibi absenti, rogatu filii nostri christianissimi Imperatoris Kunradi & confratris nostri Hunfredi Magdaburgensis Archiepiscopi, nec non illorum qui hereditatem suam Ecclesiæ contulerunt, videlicet Hermannii Marchionis, & germani sui EKKIHARDI, & maxime pro magna utilitate & securitate Ecclesiæ tuæ, consilio Episcoporum & Clericorum nostrorum, sedem Episcopalem de Ziza in Nuenburg transferre concessimus: ita nunc quoque tibi præsentium cum clero tuo & dignioribus de populo & nunciis prædicti Imperatoris & Archiepiscopi, consilio eorundem Archiepiscoporum & clericorum nostrorum factum probamus, & tam tibi, quam omnibus successoribus tuis per-

petua stabilitate confirmamus. Quod enim secundum canones pro necessitate sæpe factum fuisse legimus, nostris quoque temporibus fieri non prohibemus. Quoniam igitur canonice & communi assensu omnium, ad quos attinebat sedis tuæ translatio, facta est, absque omni contradictione universi successores tui a Nuenburgensi clero & populo eligantur, atque ad eundem titulum regulariter consecrentur, & Magdeburgensibus Archiepiscopis, quorum diocesin translatio non excedit, utpote Metropolitanis suis, omni pietatis devotione sint subiecti. Hoc quoque communicato consilio placet addere, quod Ecclesia Citicensis in honorem beatorum Apostolorum Petri & Pauli consecrata, non omnimodis negligatur, sed in loco Clericorum in Nuenburg transeuntium monachi vel canonici substituuntur, qui integris stipendiis ejusdem Ecclesiæ inibi Deo serviant, & sicut pacis filii matri suæ Nuenburgensi Ecclesiæ in Domino semper devote obediant. Si quis autem, quod minime credimus, temeraria presumptione contra hoc nostrum Apostolicum privilegium venire, aut in aliquo contraire presumpserit, seu violator exstiterit, sciat se auctoritate Dei omnipotentis & beati Apostolorum principis Petri ac nostra anathematis vinculo esse innodatum, & a regno Dei alienum, atque cum Juda traditore Domini nostri Jesu Christi socium futurum in inferno, ex communicatione subja-
ceat,

ceat, donec resipiscens ad satisfactionem & congruam emendationem revertatur. Qui vero pro intuitu curator & observator hujus nostri Apostolici privilegii exstiterit, benedictionis gratiam vitamque aeternam, & aeterei regni gaudia a Domino percipere mereatur in secula seculorum, Amen.

✠ BENE VALETE.

Scriptum per manum Georgii Notarii regionalii atque Scriniarii Sanctæ Apostolicæ sedis in mense Martio Indiæ. XV.

§. IX. Eodem porro anno CIOXXXII. Conradus II. Imp. translationem Episcopatus auctoritate sua confirmavit, & porro Numburgensi Ecclesiæ villam regalem Balchsted donavit. Ipsum diploma, quod denuo Eccardi nostri refriecat memoriam, tanquam non vulgare specimen antiquitatis Germanicæ huic commentatiunculæ inferemus.

In nomine sanctæ & individue Trinitatis. **CONRADVS** divina favente clementia Romanorum Imperator Augustus. Cum credamus & certe sciamus, nos omnibus Ecclesiis ex indita nobis Dei misericordia debitores, iis maxime succurrendum esse non dubitamus, quæ a nostris antecessoribus inchoatæ, nutantes & pauperime vix ad tempora nostra dura verunt. Quarum nimirum necessitati condolentes, & Dei nutu consulere cupientes, Episcopatum in Citzensi loco a venerabili progenitore nostro Ottone constructum ad Nudvenburg propter pacis firmitatem & religionis augmentum transfulimus, & im-

mutavimus: in memoriam scilicet Ottonis, quoniam et Domini nostri Henrici Imperatoris hoc facientes et spem requietionis eorum in hac re procul dubio considerantes. Proinde omnibus Christi nostrisque fidelibus notum esse volumus, qualiter nos ob minime denegandum interventum dilectissimæ conjugis nostræ Gisilæ Imperatricis Augustæ, amantissimæque prolis nostræ, Henrici Regis, nec non ob piam petitionem Hunfridi Magdeburgensis Archiepiscopi, fidelisque nostri EKKARDI Marchionis, et ob frequens servitium chari nostri Kalonis Episcopi Ecclesie Sancti Petri in Nuvvenburg, cui ipse præsidet, Balchsted nostram regulam cortem in pago Thuringiæ in Comitatu Madelgobonis sitam, cum omnibus attinentiis sylvis, cultis et incultis, agris, pascuis, campis, aquis aquarumve decursionibus, piscationibus, molis, molendinis, areis, edificiis, mancipus, exitibus et redditibus, venationibus, quasitis et inquirendis, seu cum omni utilitate, quæ nominari vel scribi potest, in proprium tradidimus, ea videlicet ratione, ut ipse suique successores de eadem corte in his omnibus, quæ ad ejusdem Ecclesie pertineant utilitatem, liberam potestatem habeant faciendi. Et ut hæc nostræ traditionis auctoritas stabilis et inconvulsa omni permaneat ævo, hanc paginam inde conscriptam manu propria corroborantes, sigilli impressione iussimus insigniri.

Signum Domini
Conradi

Romanorum Imperatoris
invictissimi.

Bur-

Burchardus Cancellarius vice Burchardi Archicancellarii recognovit.

Data XVI. Kl. Januarii Indictione XV. Anno Dominicæ incarnationis millesimo XXX. secundo. Anno autem Domini Conradi II. regnantis IX. imperantis vero VI. Actum Qvilineburg feliciter, Amen.

SECTIO XII.

Paulo post factam Episcopatus translationem Hermannum Misniæ Marchionem vita excessisse reor, cui successit frater ECCARDVS. II.

§. I. Hermannum adhuc vixisse anno clo XXIX. ex Johannis XX. bulla priori patet, quippe quæ precum hujus Marchionis ob translationem factarum meminerit. Quod Marchionis elogium quia Eccardo non tribuitur, hunc ipsum Comitum dignitatem tum non egressum autumo. At quia Conradus Imp. an. clo XXXII. Hermannomisso Marchionis titulum Eccardo tribuit, fratrum alterum jam tum vita defunctum credimus. Nec est quod nobis quis objiciat, ex altera Johannis Papæ bulla eodem anno Numburgensi Episcopo reddita, Hermannum Marchionis, & Eccardi fratris sine illo titulo memoriam. Quandoquidem enim ista bulla respicit primas Conradi Imp. ac ceterorum translationem desiderantium preces, non tam ad id temporis, quo posteriorem bullam scribebat Johannes Pontifex, quam ad hoc, quo Hermannus translationem expetebat, ejus tanquam adhuc viventis referenda est mentio. Neque tamen valde repugnarem, si quis Hermannum ipso anno clo XXXII. inter mensem Martium, quo Papale scriptum diploma, & Decembrem, quo Imperatorium fuit consignatum, vita functum asseruerit.

SECTIO

rit. ^AIntra cuius temporis decursum Hildevardus etiam Numburgensis Episcopus obiit: siquidem cum Johannes tertio mense eidem suam inscriberet bullam, mense ultimo a Conrado Imp. non ad hunc, sed ad Cadaloum successorem privilegium perscriptum est. Quod si perspectum Paulo Langio, non utique in Citizenensi Chronico scripsisset: *Episcopus iste Casso (is est Cadalous, sive Cadalus) quando cœperit, invenire non potui.*

§. II. Sicuti autem satis certo non liquet, quando vivere desierit Hermannus, ita de ipsius mortis genere nihil iidem habemus certi. Fabricius quidem *lib. III. Origin. Saxon. (p. 402.) monuit, a Vandalis occisum tradi.* Sed forte hæc traditio æque vacillat, ac ibidem altera illa, *quod sine conjuge vixerit.* Neque tamen quæ ipsius Fabricii est sententia, Hermannæ uxor fuit *Hemmilais*, Ducis Boemiæ Boleslai filia: siquidem ex Theodorici Numburgensis Episcopi literis, quas integras postea afferemus, patet, uxorem habuisse, cui nomen REGELYNDIS, sive, ut in Numburgensis Mortuologii (cei vocatur) fragmento scribitur, RELIGYNDIS. Nescio igitur unde hauserit Elias Reusnerus, Hermannum ex duabus uxoribus, *Godila* Lotharii Wolmerstadiensis Comitis & altera Boleslai Poloniæ Ducis viduis nullam sobolem sustulisse.

§. III. Si sustulit prolem Hermannus, masculam nullam reliquisse, ac ob id ECCARDVM fratrem in Misniæ Marchionatu ei successisse autumo. Quamvis enim id diserte non tradant, qui superant ex hoc ævo scriptores: quia tamen toties Eccardum cum titulo Marchionis nec alium interea Marchionem reperimus, quidni Eccardum Hermannæ patri successisse putemus?

SECTIO

SECTIO XIII.

Prima ergo ædis cathedralis Numburgensis fundamenta deberi videntur Hermanno & ECCARDO fratribus: quibus propterea in perennem tanti beneficii memoriam insignes statuæ in illa æde dedicatæ sunt.

De ECCARDI statua id clarum; & mox de ea pluribus agemus. Sed ad Hermannum quoque singularem pertinere statuam, cui nulla addita est inscriptio, gravibus conjecturis inducti censent Viri harum rerum intelligentes, & in his Vir Reverendus & Cl. M. Johannes Zaderus, Cathedralis Ecclesiæ Numburgensis Pastor, itemque Vir Nobilissimus & Consultissimus Caspar Matthæus Eylenberg, Præsulatus Numburgensis Syndicus optime meritus: nec est cur id in dubium vocaverim.

SECTIO XIV.

De ECCARDI statua certa sunt omnia: quippe quæ brevem quidem, sed nobilem habeat inscriptionem *ECHARTVS MARCHIO*.

Nimirum in sacrario ædis cathedralis occidentali locum habent plures statuæ, quarum præcipua, cujus delineationem in frontispicio hujus dissertationis conspiciamus, *ECCARDVS MARCHIO* inscripta est. Albinus quidem in *Historia Misnica* (pag. 438.) eandem statuam, non tamen accurate satis, exhibet. Nec enim ornamenta velorum, multo minus insignia dextro lateri addita in Numburgensi templo habent locum. Perperam deinde hæc statua ab Albino tribuitur Eccardo I. tanquam Episcopalis sedis ab Ely-

D

stro

stro ad Salam translationis auctori: quod quam abhorreat a vero, iam tum sect. XI. §. V. ostendimus. Rectius sane Fabricius tum in *Annalibus Misnensibus lib. I.* ad ann. c10 XIII. tum *lib. III. Origin. Saxon.* (p. 405.) in hac statua Eccardum II. agnoscit. Ipsam descriptionem ex eodem affero: *Eccardum cum matre Svanbilde auctorem fuisse* (collegii & templi Numburgani) *conveniens maxime temporibus est; & ejus ibidem statua palliata indicat, in qua gladius & scutum sinistra ipsius continentur; manus dexter a pallium obvolutum habet supra manum sinistram: alioquin libera & implicita: tunica longitudine pallium aequat. Facies imberbis & leta, capilli crispantes cum pileolo rotundo & plicato diversorum colorum.* Pro facie imberbi Gregorius Groitzschius in libello de *Sala fluvio superioris seculi anno LXXXIV.* edito, *rasam barbam canescentem* substituit: nec aliter res videtur se habere. Quia hujus ac reliquarum statuarum colores nondum sunt detriti, proximo seculo renovatas credidit Cl. Dn. Præses, quod tamen negat laudatus Dn. Zaderus in literis ante quadriennium ad Dn. Præsidentem perscriptis.

SECTIO XV.

Etsi autem hi fratres pro præcipuis habendi cathedralis ædis auctoribus, nihil tamen prohibet, quo minus plures eo suam symbolam contulisse credamus.

§. I. Enimvero quia plures in laudato Numburgensi sacrario habentur statuæ, ac in his etiam SIZZONIS COMITIS, DITMARI COMITIS OCCISI, TIMONIS DE KYSTERIZ & matronarum aliquot; hi omnes ac singuli forte sive ad fundandam, sive ad ornandam augendamque hanc ædem non parum contulere.

§. II.

§. II. Huc accedit, quod Theodoricus Episcopus Nuenburgensis in literis anno CICCCXLIX. scriptis supra HERMANNVM & ECCARDVM eorundemque conjuges REGELYNDAM & VTAM inter fundatores numeret SYZZONEM Comitem, WILHELMVM Comitem, GEPAM COMITISSAM, BERCHTAM Comitissam, THEODORICVM Comitem, GERBVCH Comitissam.

§. III. Ipsæ literæ omnino sunt dignæ, quæ in patriæ antiquitatis amantium cognitionem veniant.

THEODORICVS Dei gratia, voluntate divina Nuenburgensis Episcopus, M. (Meinherus) Præpositus, H. (Heinricus) Decanus totumque ejusdem Ecclesiæ Capitulum cunctis utriusque sexus tum Prelatis tum plebanis, tum Vicariis, tum omnis conditionis fidelibus salutem & dilectionem in eo, qui est vera salus omnium. Quia bona honorum initia meliore semper sunt sine considerata, propter hoc universalitati fidelium mandamus, quod nos communicato & communi fratrum nostrorum, videlicet Nuenburgensis Ecclesiæ consilio, in salutem omnium vestrum tam mortuorum quam vivorum ad hoc decretum concordamus, ut, quemadmodum primi Ecclesiæ nostræ fundatores, quorum nomina sunt hæc, Hermannus Marchio, Regelyndis Marchionissa; Eccehardus Marchio, Vta Marchionissa: Syzzo Comes: Wilhelmus Comes, Gepa Comitissa: Berchta Comitissa, Theodoricus Comes; Gerburcb Comitissa: qui pro prima fundatione maximum apud Deum meritum & indulgentiam peccatorum suorum promeruerunt; sic certum est posteros per largitionem Eleemosynarum suarum in adificatione monasterii promeruisse semper & promereri. Nos ergo consummationem totius operis imponere cupientes, tam mortuos, quam vivos, qui nobis suas largiti sunt eleemosynas, & largiuntur in generalem fraternitatis societatem & orationum participationem ab hoc

die & deinceps fideliter suscipimus commendatos. Datum
Nuenburch Anno gratia Domini M. CC. quadragesimo IX. Pon-
tificatus nostri anno V.

SECTIO XVI.

Præterea Hermannus & ECCARDVS fratres
Numburgum foro regali aliisque Ecclesiis &
monasteriis ornarunt.

§. I. Patet hoc ex diplomate Henrici III. Imp. an. CIOII.
dato, in quo memorat, quod duo Principes, videlicet Herman-
nus Marchio & frater ejus ECKEHARDVS hereditatem suam
Deo & beatis Apostolis Petro & Paulo per manum ipsius Impe-
ratoris (Conradi) contulerunt, & in ipsa forum regale, Eccle-
sias, congregationes Clericorum, monachorum, monialium con-
struxerunt, ea tamen conditione, quod sedes Episcopalis cum u-
niversis ad ipsam pertinentibus de Ciza in Nuenburg predicto
modo constructum referretur.

§. II. Ab hoc regali foro ipsæ forsitan Numburgensium
nundinarum repetendæ sunt origines. Et quia Ecclesia ca-
thedralis in honorem Petri & Pauli consecrata, & hæ nundi-
næ ad festum Petri & Pauli diem fuerunt constitutæ.

§. III. Quod ad Ecclesias Numburgenses ab Hermanno
& Eccardo conditas attinet, in iis forte locum habuit tem-
plum S. Georgii: ceu jam tum a Cl. Dn. Præside in *Historia
Eccardi I. Sect. XVII. §. V. Monitum*. Huc quoque inclinat
Fabricius Orig. Sax. l. III. scribens: *Hunc (Eccardum II.) in
summa omnium Annalium incertitudine & varietate, templi
Numburgani, & (ut alii volunt) adis etiam Georgianæ statuo
auctorem.*

SECTIO XVII.

ECCARDVS II. jam Misniæ Marchio Henrico
III.

III. Imperatori fuit in deliciis, sic quidem ut eundem aliquando FIDELISSIMI FIDELIS elogio mactet.

§. I. Quantopere ab Henrico III. æstimatus fuerit Eccardus noster, varia testantur diplomata, quorum aliqua adhuc in Archivo cathedrali Numburgensi superant. Ex his nonnulla ad propositum nostrum facientia afferemus. HEINRICVS Rex --- ob interventum nobis dilecti Marchionis EKKEHARDI, quandam villam Kizerin nominatam, in Comitatu prædicti Marchionis EKKEHARDI in pago Weitao sitam --- tradidimus. Anno cloXXXIX. HEINRICVS --- Rex -- ob interventum ac petitionem Kadelboi nobis dilecti Præsulis, nec non EGGEHARDI Marchionis, Nuenburgensi Ecclesie, cui idem Kadelbous præsidet, quandam villam, Kuffenti nominatam, quæ fuit beneficium prædicti EGGEHARDI Marchionis, in pago, qui vocatur Zurba, in Comitatu dicti Marchionis sita ---- tradidimus. ---- Anno cloXL.

1039.

1040.

§. II. Sed rarum plane, ac prorsus singulare est elogium, quod idem Henricus III. Eccardo nostro in diplomate anno cloXLI. dato tribuit. Verba ipsa sic habent: HEINRICVS --- Rex --- ob minime denegandam voluntatem FIDELISSIMI FIDELIS nostri EKKARDI Marchionis --- decem regales mansos --- in Burcardo Trebeni, in pago Zcudici, in villa Tuchin, in Comitatu prædicti Marchionis EKKEHARDI sitos ---- in proprium dedimus.

SECTIO XVIII.

Forte igitur ab hujus ECCARDI Marchionis in Henricum Cæsarem fide natum est proverbium Germanicum, quo vir spectatæ fidei der getreue Eckart appellatur.

D 3

§. I.

§. I. Jam pridem invaluit adagium de *fideli Eccardo*. Sed quia haecenus vera ejus (ut opinor) latuit origo, quidni detecto hoc diplomate ad Eccardum nostrum retulerimus? Martinus quidem Zeilerus centur. II. Epist. XCVI. monet, nonnullos id derivare ab Hegecaro quodam Bojorum Rege, qui tempore belli Trojani vixerit, quemque finxerint veteres praeforibus inferni sedentem, ac ingressuros fides instruentem monitis: unde *Troicus Heccardus*, ac porro corrupte *der treue Eckart*/ dictus: id quod postea in proverbium abierit. Sed bene est, quod addat: *Hae fabulis annumeranda*.

§. II. Paulo aliter Wolfgangus Heiderus de hac Salana optime quondam meritis Professor Vol. II. Orat. XXVIII. *In nostra Thuringia*, inquit, *quae ut Italia mari, ita sylvis supra ambitur & infra, saepe numero quidem, sed maxime tamen circa Natalitias Christi ferias & Bacchanaliorum furias, non ruri tantum, quod plerumque fieri solet, sed in ipsis quoque vicis & oppidis colluvies quaedam spectrorum, lemurum, larvarum & Empusarum, in quibus & viventium & mortuorum haec raro sunt imagines, ingenti numero, qui interdum equitum turmas & peditum manipulos sua aequant multitudine, transire solent & transcurrere: neque fides haec, quod jam quoque dixi, vana, sed certa, & omnis extra dubitationis aleam posita. Has itaque Diabolorum copias senecio quidam canitie spectabilis, quem fidum Eckhardum nominant, seu uti nostrates vocant, den getreuen Eckart delibrato cum bacillo praet, & accurrentem, ut nostra fert curiositas, popellum hortatur, ut de via cedant, & domum se referant, ne sua temeritate sibi aliquid mali non necessari accersant. At si maxime concesseris, cum hoc spectrorum grege non aliter esse comparatum, ac recensuit Heiderus, manet tamen scrupulus, qui senecioni illi adherit Eccardi fidi nomen.*

§. III. Ceterum quae de hoc proverbio jam ante annos aliquot celeberrimus vir, ac immortale decus Lipsiensis Academiae Jacobus Thomafius ad Cl. Praesidem perscripsit, cum utriusque pace hic repetam. Illud notum, *Eccarto Marchioni cognomen Fidelis adhaesisse non minus, quam Eccarto Brisacensi illi, qui postea proverbio de Fideli Eccarto occasionem dedit: quamquam sunt, qui originem adagii ad ipsum Misnensem nostrum referant: nec desit, qui Ecconem Rep-*

covium, Saxonici Juris scriptorem. Proverbium ipsum cum historiis vel fabulis huc pertinentibus, altera de Tanbusero, altera de spectro Mansfeldensi Joannes dabit Agricola: de Tanbusero etiam nonnihil Goldastus ad Paræneticos veteres.

SECTIO XIX.

ECCARDVM II. Torniamto Hallensi ab Henrico III. celebrato interfuisse volunt anno cIo XLII.

Georgii Rixneri de ludis Germanorum equestribus Torniamenti (*Turnier*) nomine famosis habemus librum lingua vernacula scriptum, in quo septimus locus est Torniamto Hallis Saxonice ab Henrico III. celebrato. Hic quoque comparuisse scribitur ECCARDVS Marchio Misniæ & Comes in Australi Thuringia. Sit fides penes auctorem, cui alioquin in his antiquioribus parum debetur fidei. Id quod Cl. Dn. Præfidis RIXNERVS EXENTERATVS brevi forte demonstrabit. Certe nec in ipso Eccardo sibi constat scriptor proletarius, quem paulo post *Eprechtum* vocat. Præterea in sequenti Torneamento anno cIo LXXX. Augustæ Vindelicorum habito iterum laudatur Eccardus Marchio Misniæ: quo tamen ævo nemo ejus nominis Misnensi Marchiæ præfuit. Et per absurdum foret hæc ad nostrum Eccardum referre.

1042.

SECTIO XX.

ECCARDVS II. anno cIo XLVI. subitanea morte extinctus, & Numburgi sepultus est.

Sic enim Hermannus Contractus in Chronico ad laud. annum: *Eggebardus Marchio ditissimus subito moriens prædiorum suorum heredem reliquit Regem.* Et Lambertus Schafnaburgensis: *Eggihardus Marchio subitanea morte præfocatus interiit.* Fabricius quidem & nonnulli alii obitum ejus referunt in annum cIo LXVIII. Sed omnino clarum est, hos Eccardum cum Saxonice Marchione, Ecberto I. confundere, cujus obitus in annum laudatum a Lamberto refertur. Nec mirum hic hallucinari Fabricium, quem Eccardorum & Ecbertorum historia invicem commixta toties in transversum egit. In fragmento Mortuologii Ecclesiæ Numburgensis, quod est penes M. Joh. Zaderum, inter alia hæc habentur:

1046.

He.

QA 2/1270

Hechardus Marchio ob. d. Timothei 9. Cal. Februar. sepultus in monasterio: quæ procul dubio de Eccardo nostro capienda. An autem monasterii vocabulum designet ædem cathedralem, (prout non raro in vetustis appellatur literis) an ipsum huic junctum monasterium, certo affirmare non sustineo.

SECTIO XXI.

ECCARDVS II. ex uxore Vta, nullos reliquit liberos.

§. VTAM Eccardo uxorem fuisse, ex Theodorici Numburgensis Episcopi diplomate Sect. XV. §. III. allato patet: quippe in quo ECCEHARDO *Marchioni*, VTA *Marchionissa* jungitur. Recentiores igitur, qui teste Fabricio, *Svanbildim* vocant, matrem Eccardi, cum uxore videntur confundere. Dum autem Fabricius Eccardo nostro conjugem assignat Ottonis Ducis Sveinfurti viduam, de nouo Eccardorum Ecbertorumque historiam non distingvit. Ecbertus enim I. Lamberto ad an. c10 LXVIII. teste, laudatam viduam cui nomen *Adela*, in matrimonio habuit, ex qua genitus Ecbertus II. Marchio. Hæc a morte Ecberti, tertio marito nupsit Dedoni Saxonie Marchioni, *mulier*, ut Lambertus ait, *omni marchione animosior atque implacatior.*

§. II. Nullos Eccardum reliquisse liberos, haut obscure ex eo est colligere quod ut Hermannus Contractus ait, *prediorum suorum heredem reliquerit Regem.* Fabricius tamen ei filium tribuit OTTONEM. Sed addit statim: *fortasse tenera ætate est extinctus: quia ejus nulla uspiam quod sciam, extat aut memoria, aut mentio.* At si nulla ejus extat memoria, unde ergo Fabricius de hoc Eccardi filio factus certior? ODA porro Boleslao nupta non Eccardi II. quod

habet Fabricius, sed Eccardi I. fuit filia: prout a Dn. Præsidente in *Historia Eccardi I. Sect. XIX. §. XIII.* ex Dittmaro demonstratum.

FINIS.

nc

Pen Vc 1276, av

ULB Halle
003 943 496 3



VD 17





CO
Vol.
a.
SS.
RI
Ni
io
m-



liam
rores
truos
sorore
Præfio
jam in
pandi
tem fi
tation

Ger
gnu
pult
Mis

Inches 1 2 3 4 5 6 7 8
Centimetres 1 2 3 4 5 6 7 8

KODAK Color Control Patches
© The Tiffen Company, 2000

Kodak
LICENSED PRODUCT

Blue	Cyan	Green	Yellow	Red	Magenta	White	3/Color	Black
Light Blue	Light Cyan	Light Green	Light Yellow	Light Red	Light Magenta	White	Light Gray	Black
Dark Blue	Dark Cyan	Dark Green	Dark Yellow	Dark Red	Dark Magenta	White	Dark Gray	Black



archio Misniæ
rdum I. Mar-
huringiæ Du-
childam, Her-
onia Ducis fi-
therum: So-
& Odam: pa-

c minus fratres &
ARDI I. a Cl. Dn.
publice proposita
rumque notitiam
I. Hermannus au-
in hac ipsa differ-

ab Ottonis III. 1002.
p. excessu re-
is, & Jenæ se-
tre ac fratribus

De

